

sunt. Rursumque corrupti longē pacis malo idolis litauerunt. MOx **igitur**ⁿ **quia**ⁿ aderat poena peccantibus, ab Eglom rege Moabitarum deuicti duodeuiginti annis seruierunt, donec instinctu^o dei Adon^p regem hostium dolo interemit contractoque tumultuario exercitu libertatem armis uindicauit. Idem per LXXX annos in pace Hebraeis praefuit. Huic Semigar successit. Isque aduersum^q Allophylos congressus secundum euentu proelium fecit.

[I 23,3] Rursumque Hebraeos sectantes idola rex Chananeorum Iabin nomine subiugauit grauissimamque in eos per XX annos dominationem exercuit, donec pristinum Debhora mulier statum reddidit, adeo nihil spei in eorum ducibus erat, ut /

fol. 4^r

[I 25,3] tempore nihil quod historia loqueretur ediderunt.

[I 26,1] Rursum Israhelites ad idola conuersi, diuino destituti **consilio**^r subiecti Allophilis per XL annos^s **captiuitatis**^t poenas perfidie pependerunt. Ea tempestate Samson natus traditur. Huius mater diu sterilis angelum uidit, **dictumque**^u ei est uino et sicera atque inmundis **abstinere**^v et^v fore ut puerum ederet libertatis uindicem et hostium ultorem. Ita mulier enixa puerum Samson **ei**^w **nomen**^w indidit.

[I 26,2] Is intonso capite mire uirtutis fuisse traditur, adeo ut leonem in uia obuuium manu discerneret. Uxorem ex Allophilis habuit. Que cum absente uiro in alterius matrimonium conuenisset, dolore erepte coniugis perniciem genti molitus est. Fretus deo et uiribus palam uictores^x clade adficiebat. CCC siquidem uulpibus captis ardentes lampades **caudis**^y **earum inligauit**^y. Atque eas agris hostium immisit. Ac^z tum^z forte maturis messibus facile incendium fuit. Uineque et oliuarum arbores exuste. Grandi Allophilorum exitio abreptae uxoris iniuriam ultus uidebatur.

[I 26,3] Quo dolore Allophili permoti mulierem mali^a causam cum domo et patre incendio consumpserunt. Sed Sanpson /

n) que P b; von igitur ist allenfalls igit zu lesen L. o) intinctu P. p) so P.
q) korr. aus aduersus P. r) praesidio P b. s) korr. aus annis L; fehlt P b.
t) folgt annos P b. u) dictuque P. v) abstineret P b. w) nomen ei P b.
x) uictoris P. y) - y) earum inligauit caudis P b. z) vielleicht Actu L;
Actum P; At tum b. a) tanti mali P b.